TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

PAUCA DE

TYPHO

COMPLECTENS.

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

PAUCA DE

TYPHO

COMPLECTENS;

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS CUGNONI,

ANGLUS.

Ut libet——

HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

19546

ROBERTO BARNES,

ARMIGERO,

Sororis Marito ſuae,

Cum Affinitatis,

Tum Amicitiae

Ergo,

Has in Medicina,

Studiorum Primitias,

Sacras eſſe

Vult

AUCTOR.

CORRIGENDA:

Pag. 3.	l. 7.	a fine, *pro* affixis *lege* affixos
5.	9.	*pro* hac *lege* hae
6.	2.	a fine, *pro* diverſum *lege* diverſam
7.	11.	*pro* nonnunquam *lege* non unquam
8.	6.	*pro* perpenderent *lege* perpenderet
10.	14.	*pro* qua *lege* quae
14.	5.	*pro* parum per *lege* parumper
		fine, *pro* tradito *lege* tradita
15.	10.	*pro* ea tenus *lege* eatenus
17.	3	*pro* debilitas *lege* difficultas
18.	9.	*pro* debilitates *lege* debilitatis
21.	7.	*pro* aut *lege* ut
23.	10.	*pro* emolumento *lege* emolumenta
	17.	*pro* vel ad *lege* vel id
	19.	*pro* debilitationem *lege* deliberationem
	20.	*pro* affectus *lege* effectus

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

PAUCI morborum, quibus corpus humanum infeſtatur, magis, meo quidem judicio, diligentem ſibi medici attentionem quam Typhus vindicant: Namque nec aetati nec ſexui ab ea parcitur, omneſque vitae conditiones pariter ejus tentationibus obnoxiae ſunt. Tametſi nonnunquam leniorem ſe oſtendat, tamen ſaepenumero indicia, maximum periculum minitantia, eam comitantur. Hae varietates, quae eam diverſis temporibus comitari animadverſae ſunt, anſam eundem morbum, ſub diſparibus nominibus, depingendi auctoribus dederunt; tamen, vel de temperamentis aegrorum diverſis, quibus contagio admota eſt, diſcrepantibus tempeſtatis aut coeli conditionibus, vel vehementia cauſae admotae, pendere videntur; et adeo genera diverſa non faciunt, ut tantum

ſpecies ejuſdem morbi paulum mutati aeſtimari debeant. Per aliquot annos praeteritos, nervoſae aut putridae febris, minus vero appoſite, nomine ſaepe potita eſt: Illud vocabulum nimis tritum, ut pene unuſquiſque morbus nervoſus dici poteſt; huic quoque objicere licet, quod putredo minime eſt cauſa, tantum autem febris conſectarium. Noſologici ſcriptores huic morbo nomen Typhum nuper indiderunt, et horum veſtigia premere optimum eſſe judicavi. Quoniam cujuſlibet medicinam facientis haec febris toties in conſpectum venit, exituſque crebro ita funeſtus eſt, indicia eam comitantia adeo nonnunquam urgent, etiamque medico perito moleſtiam ſaepe exhibent, praecipue ſtudium et attentionem ſibi medicinam facere incipientis aſſerit. Hanc ob cauſam, eam ut argumentum tentaminis, quod leges et inſtituta hujus celeberrimae Academiae omnibus medicos honores ambientibus, imponunt, elegi. Haec de re et cauſa hujus moliminis praefatus, cum brevem, et in paucis verbis plura complectentem, hujuſce morbi definitionem, ut ab eximio Profeſſore Culleno in lucem prolata ſunt, dedero, ad indicia, quae eum ſaepius comitantur, progrediar.

DEFINITIO.

'Morbus contagioſus; calor parum auctus; pulſus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; ſenſorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae [a].'

HISTO-

[a] Synop. Noſolog. Method.

HISTORIA MORBI.

Hicce morbus a ſenſu frigoris aut algoris per corporis ſuperficiem ſparſo incipit, quem rigores, cum calore alternantes, illico ſequuntur, et aliquid languoris aut moleſtiae in movendo eum comitatur. Aegrotus dolorem diverſas corporis partes, praeſertim caput, dorſum, lumboſque conturbantem, conqueritur; appetentia cibi, praecipue illius ex carne confecti, deficit; ventriculus nauſea, ad vomitum nonnunquam aſſurgente, afficitur; albeſcit lingua, et ſiti vexatur aeger. Pulſus arteriarum hoc tempore eſt celerior; in aliis autem rebus ab illo valetudini proſperae communi haud multum diſcrepat. Haec indicia ſub noctem ingraveſcunt, et ſomno obſtant; aut, ſi obdormiat aeger, parum reficitur, indeque paululum aut nullum levamen ſuppeditatur morbo. Hoc tempore ex animadverſione illuſtriſſimi Joannis Pringle, qui ita ſeſe habent, ſemetipſos nimis ad res ſolitas agendas aegrotos, nimium autem valentes, lecto affixis eſſe ſentiunt [a].

Cum febris quatuor, quinque, aut ſex circiter dies perduraverit, ſigna ſupra dicta in pejus ruunt. Aegroti nunc magnam conqueruntur debilitatem, membra tremiſcunt, et ad pondus corporis ſuſtentandum minime aut parum valent; rigores augeſcunt, et capitis dolor perturbatione quadam, ad delirium vergente, comitatur; alias vero

a Pringle, Obſervationes de Febribus Carcerum et Noſocom.

vero ſtupor potius quam delirium adeſt. Vultus plerumque pallefcit, nonnunquam tamen rubeſcit; oculi languefcunt, et tunica adnata ſubinde rubet: manus tremore quodam, et nonnunquam ſubſultibus, vexantur. Pulſus fit celer, debilis, crebro abnormis, et interdum intermittens, et ſaepe per diem vices alternas ſubit; finem mali verſus, cum alia quoque indicia obitum inſtare praenunciant, difficilis propter velocitatem debilitatemque recenſitu evadit, et interdum vix aut ne vix quidem ſentiri poteſt. Sitis, quae initio erat modica, maximam aegrotis nunc moleſtiam exhibet, nihilque iis hac tempeſtate ac frigidulus potus, ſitis urgentis cauſa, ac caloris qui in univerſum corpus occupat, aeque gratum. Areſcit lingua, et cruſta quadam obducitur; nonnunquam fit fuſca, et hic illic quaſi finditur: In infauſtiſſimis hujuſce febris generibus liveſcit aut nigreſcit, atque ad gingivas denteſque hic color extenditur. Spiritus nonnunquam difficilis, et aegri ſenſum ponderis in praecordiis fere conqueruntur. Levis ſurditas morbum ab initio plerumque comitatur; progrediente vero illo, auditus valde hebeſcit, et aegroti ſe tinnitu aurium non parvo tentari queruntur. Vox fere demiſſa, tarda, et querula, et ſaepe aliquid aegri muſſitare animadvertuntur, et ſubinde ſuſpirare: Rarius obdormiſcunt, nonnulli licet in ſtupore perpetuo, qui a ſomno non multum abludit, teneantur, facile eo excitantur, et in eundem ſtatum cito recidunt.

Hunc morbum efflorescentia, quam *Fracaſtorius* [a] ſub nominibus *Lenticulae*, *Puncticulae*, aut *Peticulae*, nunc autem voca-

a Fracaſtorius de Morbis Contagioſis.

vocatur *Petechiae*, primus delineaviſſe dicitur, fere comitatur. Pectus, brachia, dorſumque fere, vultum aliaſve corporis partes raro obſident; a cute autem prominere conſpiciuntur nunquam: Saepius valde rubent, nonnunquam vero adeo palleſcunt, ut medici obſervantiam, niſi accurate quaerantur, cum aliae aliis connexae videantur, facile effugiant; magis autem exquiſita animadverſione facta, interſtitia eas inter perfacile dignoſci queunt. Hac ſubinde Petechiae liveſcunt aut nigreſcunt, quod infauſtum fere indicium. Interdum quarto ſextove die erumpunt, nonnunquam vero haud ad ſpatium multo ſerius. Illuſt. *Pringle* ſe exempla, in quibus donec poſt mortem non apparebant, quaedam ſciviſſe dicit. In earum loco purpurei radii vel puſtulae, haud parvam corporis partem occupantes, quae *Vibices* et *Maculae* nuncupantur, interdum obſervantur. Maculae ad gangraenam vergentes ſaepe in iis corporis partibus videntur, quae maxime preſſurae, ob poſituram aegroti reſupinam, obnoxiae ſunt, et in ulcera, quae difficilia ſanatu ſunt, erumpunt. Glandulae aliquando axillae lymphaticae, ſeu iſtae ſuper parotides jacentes, tumeſcunt, et in abſceſſum deſinunt.

Ad diverſas ſecretiones quod attinet, eae ex pulmonum et cutis ſuperficie graviter olent; haec praecipue etiamque aegrotis ipſis negotium faceſſit. *Urina* ut plurimum varia: Interdum, et magna ex parte morbi initio, palleſcit; progrediente vero febre, fit rubicunda, fuſca, et foetida, et omnino ſpeciem prae ſe fert, quaſi ſanguis cum ea miſtus fuerit; neque, ante ſigna quam miteſcunt, nubilum ſedimentum deponit. *Alvus* per totum morbum plerum-

que

que adſtringitur, attamen nonnunquam fuſa eſt, et ſtatus ejus quod ad hoc attinet, magnopere de gradu caloris aut frigoris, cui aegri, morbo perſtante, objiciuntur, pendere videtur. Finem vero verſus, cum unumquodque indicium exacerbetur, et mortem gradatim appropinquare indicet, aegri diarrhoea crebro tentantur: Alvi ſunt crebrae, foetidae, ichoroſae aut ſanguineae, et eodem modo, quo urina, aegrotis neſciis dejiciuntur; paululum virium, quod illis erat, convellunt, gangraenam inteſtinorum inducunt, et de medio tollunt.

Morbi diuturnitas valde incerta: Quandoque in ſanitatem vel mortem, ſeptem dies poſt primum impetum, deſinet, quod vero aliis de cauſis haud ad quartum decimum diem uſque, vel etiam multo poſterius ſpatium, evenit. Licet in ſanitatem deſinat, aegroti per tempus non parvum, poſtquam febris indicia ſe remiſerunt, interpellatum ſomnum, vertiginem, magnum languorem, et corporis infirmitatem in movendo, quae utcunque ſenſim abeunt, conqueruntur.

DIAGNOSIS.

Typhus, in principio, pleraſque alias febres refert; extemplo autem acerbitatem ſibi propriam oſtendit. In totis indiciorum prorſus a *Synocha* diſcrepat, et rationem medendi omnino diverſum repoſcit. In calidis, in quibus corporis habitus debilitatur remittiturque, quam in frigi-

dis

dis regionibus graſſatur frequentius. In Typho venaeſectio, et alia medicamenta evacuantia, atrociſſima edunt effecta, pulſum aegri mirum in modum deprimunt; cum in Synocha, e contrario, conſequentia feliciſſima gignant. In illa inſignis debilitas, quam delirium manſueta fere natura, et crebro petechiae, comitantur, opinione citius apparet; praeterea diſparia Typhi ſymptomata idoneo vini uſu aliiſque cardiacis levantur. In hac vero actio vaſorum manifeſte augetur, delirium ſaevit et vehemens, unumquodque indicium cardiacorum uſu commovetur, eamque nonnunquam comitantur petechiae. Homines ex temperamentis robuſtiſſimis validiſque ſynochae ſunt maxime obnoxii, cum Typhus eos, qui tenui valetudine ſunt praediti, ut plurimum invadat.

Inter medicos multum addubitatum eſt, an *Synochus* Typhuſque morbi diſcreti ducerentur necne; bene vero multi hoc tempore eos eſſe ſpecies ejuſdem tamen putant, et noſtro celeber. Profeſſori *Gregorio* in hanc ſententiam ire arriſit. De quibus rebus tanta morbi diverſitas pendet, dictu eſt difficile; temperamenta aegrotantium, et diſcrimina in qualitatibus tempeſtatum, quoad calorem, frigus, et humorem manifeſtis, hac in re proculdubio plurimum valent. Hoc in *Variola* valde perſpicuum, et, analogia duce, quod ad hunc morbum attinet, rem ſic ſeſe habere conjicere licet. In nonnullis quidem tempeſtatibus, variola inſignem proclivitatem morbum confluentem et apprime feralem ad reddendum habet; in aliis, e contrario, malum fert contagium, quod eruptio mitiſſimi generis comitatur, et ubi exempla, in quibus e veſtigio mortem affert, rariſſima ſunt. Res quoque ſic ſe habet, cum va-

rio'a

riola in ſanum corpus inſitione transfertur; eadem materia, in uno diſcretam, in alio autem eruptionem confluentem, edens. Nemo medicorum tamen diverſa ex ejuſmodi diverſitatibus genera facere cogitaret; procul autem dubio eas ejuſdem eſſe, in rebus tantum adſcitis diſſidentes, perpenderent, et haud dubie idem, quod ad varietates Typhi attinet, in diſparibus tempeſtatibus, et etiam in diverſis aegrotantibus in eadem, colligere licet.

Sunt qui Typhum et *Peſtem* morbos diſſimillimos opinantur; quibus tamen nullo modo aſſentiri poſſum; omnis namque res diverſum evincere videtur; exinanitiones enim peraeque in utriſque perniciosae; vinum et alia cardiaca in hac aeque ac in illa ſunt utilia; et brevi, utraeque eadem ex cauſa, nempe contagione, oriuntur, gradu ſolum diſcrepant.

Non deſunt medici qui *febrem puerperam* inflammanti quaſi vi eſſe praeditam aſſeverant, ejuſque originem alicui partium in puerperio laeſioni adſcribunt; multa tamen febris ſupervenientis exempla fuerunt, in quibus tali ſuſpicioni minime locus erat. Vir celeber. White Mancunienſis liquido eam Typho conjunctam, cum indiciis, tum medendi ratione, eviciſſe videtur, et in praeſentia plerique medicorum hanc ſententiam amplexi ſunt.

Quidam ſunt alii morbi Typho haud abſimiles, quales *Cynanche Maligna*, *Pemphigus*, &c. ſed praecipua eorum diſcrimina, quibus alia ab aliis diſcrepant, a celeberrimo *Culleno* ita ad plenum depinguntur, et quidem tam facile dignoſcuntur, ut ſupervacaneum de iis mentionem facere putem.

CAUSÆ

CAUSÆ EXCITANTES.

Cauſae remotae a medicis in excitantes et praediſponentes dividuntur: Hanc diviſionem ſequens a prioribus incipio. *Effluvia* ex paludibus, et ea quae ab humano corpore oriuntur, *cauſae* eſſe febrium *excitantes* ab omnibus nunc conceduntur; illa *intermittentes*, haec autem *febres continuas* edunt. Corpus humanum nonnihil ſibimetipſi funeſtum uſque exſpirare omnibus innoteſcit. Nupera chemicorum pericula nullum de eo dubitandi locum, et recentium medicorum inveſtigationes ejuſdem dilucida, quaeque antiquos latuerunt, argumenta, praebent. Haec materia, quae aſſidue exhalatur, raro nociva, modo cum aëre miſcetur, et hoc in modo diſpergitur; ſin circa corpora, ex quibus emanat, detineatur, aut in quibuſdam locis, ad quae aëri liber non eſt aditus, coacervetur, inſigniter nociva et contagioſa, atque in hoc ſtatu febrium cauſa excitans celeriter evadit. Contagium, prout ſtatim ex corporibus febre laborantium oritur, aut cum originem ex ſtragulis veſtibuſve ducit, quae corpora eorum, qui hujuſmodi morbo laborabant, texerunt, viribus diverſis gaudere inventum eſt. Quod ex fonte poſteriore oritur, cuique nomen *Fomites* datum eſt, multo magis venenoſum et peſtiferum, quam cum illico ex priore originem ducit, forſitan quod major materiae copia in anguſtiore ſpatio congeritur, et nonnihil fermentationis ſubit. Hanc

ob cauſam ea loca in quibus magna vis hominum conſtipatur, ut in Noſocomiis, carceribus, et aliis hujuſmodi locis obtinet, et praeſertim ſi non munda conſerventur, et iis puro aëri liber aditus haud detur, creberrime huic febri originem praebere invenimus. Aliae ſunt cauſae quae ei ortum praebere dicuntur, qualis eſt aër effluviis ex putridis rebus animalibus orientibus inquinatus. Quin talia effluvia febres generis acerbiſſimi vim edendi poſſideant, dubitare vix poſſumus. Hiſtorici enim complura exempla memoriae prodiderunt, ubi febres ex corporibus occiſorum praelio facto inſepultis, et ad tabeſcendum relictis, infeſtiſſimae ortae ſunt. Humidus quoque aër cauſas inter alias recenſitus eſt, perſpirationis ſcilicet materia, qua aſſidue cuticularibus meatibus expiratur, cohibenda, atque id materiae in corpore quod eſt ei adeo funeſtum, detinendo. Hoc noviſſimum tamen haud tam liquido evictum eſt, et recentes, forſitan majore ratione, medici, in univerſum, *Rheumatiſmo*, *Pneumoniae*, *Catarrho*, caeteriſque, pro febre ortum dare putaverunt. Contagionis natura facile enodari nequit; namque, quae ratio dari poteſt, cur *Rubeola* aut *Variola* hominem ſemel tantum per omnem vitae decurſum afficiet, cum ex hac febre multoties laboretur. Cum ex praedictis evidenter conſtet cauſas hujuſcemodi febris excitantes minime compIures eſſe, illius varietates quibuſdam cauſis earum vim vel augentibus vel minuentibus imputandae ſunt, ſcilicet, aut ſingulari materiae contagioſae acerbitati, cuidam corpori propriae conditioni, ad quod admota eſt, aut aliis quibuſdam rebus, quae morborum ſunt ſeminia, ſeu, ut fere, vocantur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Experientia docet multas eſſe res, quae corpus magis contagii operationi obnoxium reddunt, quaeque a medicis *cauſae* dicuntur *praediſponentes*, quales ſunt motus animi deprimentes, velut metus, moeror, ira, aliique id genus; intemperantia, ebrietas; exinanitiones amplae quomodocunque naſcuntur, ſive ſanguinis miſſione, ſive medicamentis alvum cientibus; lucubrationes multum productae, et de rebus perarduis verſatae; gravis perpetuus labor, macilenta et tenuis diaeta, immodicus calor aut frigus, inerſque vita. Quomodo iſtiuſmodi res anſam contagionis actioni dare poſſunt, arbitrari haud difficile eſt. Virtutem et vim generis nervoſi diminuunt, vigoremque et circuitum ſanguinis attenuant; inde partes ſolidae remittuntur, tonus ventriculi debilitatur perditurque, atque ſecretiones diverſae magnopere impediuntur. Quidam ſibi perſuaſerunt, ut omnes, aut ad minimum prope omnes, harum ad morbos opportunitatum, ſingulae ad hunc morbum efficiendum pares eſſent; hanc autem ſententiam nunc dierum plerique medicorum repudiaverunt.

Quod ad modum attinet in quo contagio corpus humanum afficit, opiniones diverſae obtinuerunt. Maxima tamen vis medicorum nunc nullam dubitationem admittunt, quin *genus nervoſum* primum et maxime male ſe habeat, et celeberrimus *Cullenus* hanc rem adverſus *Boerhaa-*

vii

vii aemulatores affatim eviciſſe videtur. *Hoffmannus* quidem in quibuſdam operum partibus id oblique perſtrinxit, quod autem de eo dicit, eſt rei parum idoneum, vagum, et imperfectum.

Qua ratione in corpus intrat contagium, adhuc in medio relinquitur, et fortaſſe ad ſtabiliendam hujus rei veritatem dilucide nunquam nobis in manu erit. Quorundam eſt ſententia in ventriculum cum ſaliva admiſſum eſſe, putantque hoc enodate per nauſeam et anorexiam, quae hunc morbum ab ipſo ejus initio uſque comitantur, evinci.

Alii haud minus acriter aſſeverant materiam contagioſam per cutis foramina intrare, nervos, qui in corporis ſuperficie multi inſunt, primum affici, atque ex bene noto conſenſu,qui hanc corporis partem inter et ventriculum intercedit, diverſa, quae in poſteriore accidunt phaenomena facile eſſe enodanda. Tertius modus, et qui forſitan aeque, atque alii, veriſimilis, eſt, quod morbus ex nocivis effluviis ad pulmones admotis conflatur, et talis profecto ſententia narratiunculis bene confirmatis quorundam, qui peſte derepente correpti, illico corruerunt exanimes, ſtabiliri quodammodo videtur. Nocentium quidem effectus vaporum in pulmones intrantium, tam bene ab experimentis chemicis confirmatus, nocivum miaſma hocce modo ad corpus admotum ejuſmodi conſequentiam facile editurum eſſe, nobis rationem colligendi ſuppeditat. Ad hoc quoque accedit, quod effluvia pulmones introeuntia ad ſuperficiem minime mediocrem applicantur, et quam facillime, in ſuo ad id organum tranſitu, tenellula extrema

ma tenuium fibrarum nervoſarum, quae intra nares poſita ad ſenſum acutiſſimum deſignantur, afficient.

CAUSA PROXIMA.

A primis medicinae temporibus ad proximam febrium cauſam ſtabiliendam medici aſſiduam operam ſuam dederunt, arbitrantes quod, ſi res iſtiuſmodi inveniri poſſit, facem haud aſpernandam medendi rationi praeluceret. Hanc ob rem multas theorias invenerunt, quae diverſis temporibus viguerunt, atque ad has ſuſtinendas magis ratiocinandi acumine, quam aequa naturae morbi contemplatione adducti ſunt. Inde etenim ortae opiniones, quae humorum pathologia vocatae ſunt, quaeque febrium originem *lentori* cuidam aut *viſciditati ſanguinis*, vel *materiae morbificae* eundem introeunti, aſcripſerunt. Prima ex ſanguinis ſpecie, cum a vena detrahatur et cogi permittatur, ortum duxit, glutine nempe a craſſamento ſejuncto. Hanc ſpeciem utut, quae obiter haud ſaepe in Typho accidit, experimentis, quibus contradici vix poteſt, de re diſſimili pendere vir ingenioſus *Hewſon* evicit: Sanguis adeo non magis viſcidus, ut revera tenuior ſit, cum id phaenomenon evenit. Praeterea, exiſtimare difficile eſt, ut tam ſubita mutatio in ſanguineae molis ſpiſſitate obtingat, quam febris initio in ſyſtema agere ſcimus.

Altera ſententia, nocivam ſcilicet, aut morbificam materiam in ſanguine progenitam, aut in eum admiſſam, proximam

proximam eſſe cauſam febrium, etiamſi antiquiſſima ſit, et multi magni nominis viri ejus vindices fuerint; tamen fundamento, ſi modo natura morbi accuratius perpendatur, parum ſtabili innititur. Quotidie etenim febres, indiciis formidoloſis haud parum per concomitatas, in ſanitatem tandem deſinentes videmus, levi forſitan ſudore cutim duntaxat humectante, ubi non quavis ratione modum, quo materies morbida ejecta fuit, indicare poteramus. Nec in hac ſententia defendenda refert, ut febris deceſſum haemorrhagia, forſan paucis tantum ſanguinis guttis ex naribus erumpentibus, nonnunquam anteceſſerit. Haud dubie nemo dicere audebit, tantillam ſanguinis quovis modo habilem eſſe effuſionem ad materiam, per totam ſanguinis molem diſperſam eſſe creditam, depellendam. Ad hoc haud parum erit negotii oſtendere, quae cauſa ad materiam morbidam, a ſalubri molis parte ſejunctam, ſolam expellendam valeret. Febres tamen fluida afficere, modo non primario, ſecundario autem, ſtatum eorum putreſcentem ſcilicet inferendo, ſatis veriſimile videtur, et petechias exiſtentes, halitus diverſarumque ſecretionum foetorem, perſpicua hujuſce rei argumenta eſſe putamus.

Licet hodierni medici ſententias ſupradictas, quod ad cauſam proximam merito reſpuant, arduum revera eſt, et fortaſſe nonnunquam penes illos erit talem reddere, qualis ullis diſceptationibus minime patebit, tantillum quidem naturae contagii verae, aut mutationis, quae ab illo corpori infertur, a valetudine ſecunda alienae, novimus. Nulla quomodocunque, meo judicio, aeque diverſis, quae quotidie accidunt, phaenomenis congruit, atque illa a celeberrimo hujus academiae Profeſſore tradito. Contagium

genus

genus nervoſum primum invadere luculenter demonſtravit; cauſas quoque febrium remotas quaſdam eſſe ſedantes poteſtates, quae ad id admotae, vim cerebri comminuunt, exindeque omnibus corporis muneribus, et praeſertim ſummorum vaſorum actioni, debilitatem inferunt. Iſtiuſmodi tamen, pergit ille, eodem tempore oeconomiae animalis natura eſt, uti haec debilitas ſyſtemati ſanguifero ſtimulo indirecto eveniat, unde per ſtadii frigidi, et ſpaſmi cum eo connexi, interpellationem, cordis et arteriarum majorum actio augetur, et ea tenus perſtat, donec effecerit, ut cerebri vim inſtauraverit, hanc efficaciam ſummis vaſis porrexerit, idcirco eorum actionem refecerit, et eo praeſertim *ſpaſmum*, ſub quo laborarunt, vicerit; quo depulſo, ſudoris ſecretio, et alia vaſorum excernentium remiſſionis indicia ſubeunt [a].

PROGNOSIS.

Haec medendi ſcientiae pars ut plurimum conjecturalis ducitur; multum vero ad eam pertinens a diligenti et perito medico diſci poteſt, qui ad amuſſim ſymptomata quod ad varietatem aut violentiae vel lenitatis gradum attinet, perpendit. Salubria naturae conamina adhuc minimum intelliguntur, proinde quod ad aegroti conditionem

a Primae Lineae Culleni.

nem aut periculum ſpectat a debilitate praeſenti, et ad putredinem proclivitate, et ſingulis ad diverſos gradus, ſententiam nobis faciendum eſt. Pro infirmitatis gradu, ex voluntarii motus et ſenſus imminutione; pulſus infrequentia et impotentia; internorum ſenſuum defectu; ſpirandi difficultate; ad ſyncopen, cum corpus erigatur, ſtudio; ventriculi infirmitate, extremorum frigore, et urinae faecumque invita egeſtione, quandam conjecturam facimus. Ex cibi faſtidio, potionum refrigerantium et acidarum deſiderio vehementi; ex effuſionibus ſubter cutim petechias, vibices, maculaſque efficientes, et illarum colore ac perpetuitate, coloris obſcuritate morbum acriorem deſignante; ex totius corporis foetore, atque excretionum eo, veluti ſpiritus, perſpirationis, urinae; et illarum partium, quibus veſicatoria fuerant admota, ſpecie livida, de propenſione ad putreſcendum judicamus. Multum animi intentionis, in prognoſi conſtituenda, delirii magnitudini quod laborantem excruciat; motus voluntarii difficultati et modo abnormi, vultus et oculorum ſpeciei medicis haberi debet, ſeu ille ſpeciem cadaveroſam, ſive hi ſpeciem hebetem triſtemque, ſimulque ſolito ſtimulo vix motam induunt. Plurimum ex vocis conditione, linguae ſpecie, aegrotantis geſtu poſituque in lecto, et corporis ſtatu pro calore, frigore, humiditate, ſiccitate, caeteriſque addiſci poteſt: "Ad hujuſmodi autem qualitatum manifeſtarum corporis vitia eo magis attendere decet, quia facile obſerventur, et minime fallacia ſint, neque aeger ea medicum celare poſſit, neque, ut rem intelligat medicus, multis (quae ſaepe admodum ingratae ſunt) opus ſit interrogationibus."

tionibus [a]." Maxime tamen ad vitalium functionum ſtatum, quales ſunt pulſus indoles, quod ad impotentiam et frequentiam pertinet, reſpirandi infirmitas atque debilitas, attendendum eſt. Si ſymptomata jam memorata temperantius urgeant, fauſta jure praeſagire licet: Si contra ſpiritus valde laborioſus et quaſi abruptus ſit; ſi arteriarum pulſus admodum frequentes, enormes, intermittentes evadant, vixque dinumerari poſſint, et tardiores plenioreſque vino aliiſque cardiacis non fiant; ſi aegrotus comatis, delirii, et vigilantiae magna vi agitetur; ſi vires magnopere minuantur, manus tremiſcant, et ſubſultus tendinum ſuperveniat; atque aegrotans ſtragula carpat, aut nigras maculas oculi aciem interpellantes conqueratur; ſi lingua fauceſque perareſcant et liveſcant; ſi urinae faecumque excretiones aegroto neſcienti dejiciantur, et petechiae adeo non evaneſcant medicamentis idoneis adhibitis, et aëris frigidi perflatu admiſſo, ut potius augeſcant et lividiores evadant, augurium fere infauſtum erit. In opinione autem facienda a quovis ſymptomatum ſeorſum ſumpto, utcunque infauſtum appareat, ſed tantum accurato omnium luſtramine, aut plurium alia aliis conjunguntur, haud quomodocunque impellamur oportet, cum aegrotantes etiam in rebus infauſtiſſimis, et praeter omnem ſpem medicorum, convaluiſſe omnibus innoteſcit.

a Conſpectus Medicin. Theoret. § 35.

RATIO MEDENDI.

Ex iis quae de ſymptomatis et cauſa proxima proferuntur, cauſas remotas corpori debilitatem inferre, ideoque ſpaſmum vaſa ſuperficiei extrema occupare, atque horum perpetuitatis aut gradus, pro rata parte, ad putredinem in fluidis proclivitatem naſci patebit: Inde tres oriuntur indicationes, quae in medendi ratione in animo habeamus neceſſe eſt.

1*mo*, Ad ſpaſmum in vaſis extremis auferendum;

2*do*, Debilitates jam inductae exitibus obviam eundum, et ne aliae cauſae debilitantes applicentur, inhibendum;

3*tio*, Fluidorum proclivitati ad putredinem obſiſtendum.

Remedia quae ad ſpaſmum vaſorum extremorum demendum maxime laudantur, externa aut interna ſunt. Interna ſunt *diluentia*, *ſales medii*, *ſudorifica*, et *emetica*.

Maxima corporis animalis fluidorum pars de aqua conflatur, et totius molis fluiditas aquae illius, quam capit, copiae debetur. Cuilibet itidem humori, qui ab corpore ſejungatur oportet, vehiculi vice fungitur. Excretiones magna ex parte febre prohibentur, ſanguinis utcunque partes magis fluidas ad quantitatem haud parvam exhaurire perdurant, ideoque, cum vaſa majora magnam fluidorum comparationem complectantur, ea in ſuperficie

poſita

poſita conſtringuntur, et idoneo ſubſidio ſpoliantur. In febre igitur magnam fluidorum copiam ingerere ſemper moris fuit, et *Italiae Hiſpaniaeqae* medici hunc uſum, qui ab iis *diaeta aquea* vocatur, praecipue ſecuti ſunt, quodque quotidie aquam a ſex ad octo libras, plerumque frigidam, nonnunquam autem calidam, per aliquot dies continuos dando, eademque tempeſtate quodvis aliud alimenti genus auferendo, efficitur. Haec vero conſuetudo, utcunque in quibuſdam febribus idoneae fluidi aquoſi copiae ad perpetuum diſpendium reſarciendum, et contractionem a vaſis extremis auferendam, ſuppeditandae gratia, opportuna eſſe videatur, Typho nequaquam competit, cui debilitas fere tam inſignis ineſt, et ea proculdubio augeretur. Etiamſi huic conſuetudini, propter copiam et ineptum humoris diluentis genus, qui impenditur, laudem impertiri nequeam, uſum diluentium, prout res et aegroti periculum exigent, prohibere putari nolim: Ea tamen, quae ad debilitatem putredinemque praeripiendum magis idonea ſunt, qualia cereviſia tenuis, aceſcentes potiones, et vinum recte cum aqua mixtum, deligantur oportet.

Medii Sales quoque ad ſuperficiem eliciendi cauſa laudibus efferuntur. Quod in febribus ut plurimum uſurpatur, *Alkali Vegetabili fixo* cum *nativo Vegetabilium Acido* juncto conſtat, et ventriculo revera maxime gratum eſt; nonnunquam tamen id ex *Alkali Volatili* factum adhibetur. In proclivitate ad ejiciendum, quae in febribus tam ſaepe accidere ſolet, praecipue obſiſtendo utiles ſunt; ſecretionem urinae promovent, lenemque ſudorem ſtimulant. Plerumque jam mixti exhibentur, aperte autem utiliores

liores ſunt, cum diviſim adminiſtrentur; alkali ſolutio primo detur oportet, et acidi poſtea: Hac ratione efferveſcentia in ventriculo evenit, et qui expeditur aër, maximam vim ad materiam, quam complectatur, corruptam emendandam habet.

Sudorifica.—Horum remediorum in febribus a quibuſdam affirmati felices exitus, et ab aliis in dubium ſunt vocati. Veriſimile tamen videtur, ut in febribus quibuſdam magno commodo uſurpari poſſint; quod ad hanc autem, ubi tanta imbecillitas polleat, in eadem ſententia nequaquam eſſe poſſum. Sudatio, ut commoda, quae ab ea oriri ſolent, perficiat, in longiuſculum tempus producatur oportet; tale vero inſtitutum, regimine ſolito tractatum, potius, meo judicio, imbecillitati incrementum daret. Ubi enim ſudor ſpontaneus erupit, et non cito levabat, potius autem pulſus frequentiam, anxietatem, ſpirandi difficultatem, capitis dolorem, et delirium augebat, frigido aëri in cubiculum aditum praebendo, et quaedam de ſtragulis auferendo, eum cohibere ſaepe neceſſe repertum eſt. Illuſtriſſimus *Joannes Pringle* attamen memoriae prodidit, quod ad febris exordium, emeticum adminiſtratum, et poſtea diaphoreticum, malum ne ulterius progrediatur inhibuerint, idque penitus amolita fuerint. Forſitan iſtiuſmodi etiam re ſudationem calefacientibus ſtimulantibuſque medicamentis promovere non oportet, potius autem crebris egelidorum liquorum potionibus, pauxillo vini, quo jucundiores reddantur, adjecto; ſalinis ut vocantur, hauſtibus; et forſan efficaciſſime *Pulvere Doveriano.* Balneum calidum, aut ad inferiores corporis par-

tes

tes fotus admoti, ad horum remediorum effectus promovendum haud parum conferunt.

Emetica—in febribus nunc dierum multum in uſu ſunt; medici tamen qua ratione adminiſtrari debeant, ſibimetipſis parum conveniunt. Alii tali ratione ut darentur monent, quali vomitio integra concilietur: Alii, e contrario, ita aut nauſea tantum comparetur. Ex priore tamen, ni fallor, ratione, omne, ſine illa debilitate inducenda, quae ea, modo poſteriore data, comitari ſolent, commodum pariatur. Praeterea, quod fluida ad corporis ſuperficiem impellit, et hoc modo ſpaſmum ibi exiſtentem amandat, vomitionem quaedam alia commoda comitantur; ventriculum ſcilicet materia, quam complectatur, putreſcente ſublevat, biliares pancreaticoſque ductus expurgat, et, ut thoracis abdominiſque viſcera ſanguis liberius permeet, efficit. Ad vomitionem eliciendam, remedia diverſa adhibita fuerunt; quae vero nunc maxime uſurpantur ſunt *ſtibium* et *ipecacuanha;* et quamvis medicamenta ex illo parata varia ſint, *tartarum emeticum* ut plurimum nunc caeteris antefertur, cum doſis accuratius conſtitui, eo potionibus partitis dato, et vel integrae vomitionis conciliandae vel nauſeae tantum concitandae conſilio adhiberi poſſit. De aliis vero hujuſce metalli foſſilis praeparationibus res nequaquam ſic ſe habet, quárum quantitas idonea ſemel adminiſtratur, et idcirco earum actio magis dubia evadit. Quidam *calcem antimonii nitratam*, quae *Jacobi* prope *pulverem* referre putatur, tartaro emetico anteponere maluerunt, ex quo autem, quod ad ejus attinet adminiſtrationem vidi, haud poſſum quin illi hoc anteferam, Quoad tempora idonea emetica adhibendi, ea

febris

febris incrementi, aut paulo ante, aptiſſima exiſtimantur, et ea, quamvis quidem iſtiuſmodi commotiunculae parum notabiles ſint, plerumque circiter meridiem et veſperam contingere putantur. Haud crebro repetantur, cum actio vomendi ſine infirmitate inducenda conciliari nequeat, et ſi cum primo adhiberentur, parum utilia fuerint, haud aequum eſt, cum poſtea adhibeantur, arbitrari, ut votis reſponderint.

Altera medicamenta, quae in Typho interne ad hujus primae indicationis conſilio reſpondendum, adhibentur, *antiſpaſmodica* nominantur. Compluria hoc propoſito data ſunt, quae autem in praeſentia maxime adhibentur, ſunt *Opium*, *Moſchus*, et *Camphora*. Ad primum maxime decurritur, et ex ſedantibus, quibus gaudet effectibus, multum levaminis quibuſdam ſymptomatis maxime urgentibus ſuppeditando, et ſomnum inferendo, admodum prodeſt. Utile quoque eſt, perinde atque alia duo, in ſubſultibus tendinum obviam eundo.

Extera remedia veſicatoria calidumque balneum ſunt. Ut modum quo *veſicatoria* hoc in malo proſunt, et de quo inter medicos haud convenit, praeteream; ſatis ſit dicere, quod in affectionibus ad quandam corporis partem quaſi cohibitis, effuſionem ex ſuperficie eliciendo, et vaſa altius poſita levando, utilia eſſe reperiuntur: Idcirco thoracis doloribus vel aurium tinnitu, quae hoc in morbo ſubinde locum habent, ſaepe impenduntur. Ad idem conſilium *cucurbitulae cruentae* aut *hirudinum* applicatio nonnunquam optimos effectus edunt. Haec remedia vix aut paululum totum corpus, ſed tantum partem, cui adhibentur, afficiunt; idcirco eorum uſui apte indicato ab opinione debi-

litatis

litatis augendae haud vix objiciendum eſt. *Sinapiſmi* aliaque *rubeſacientia* in morem a veſicatoriis haud abludentem agere putata, et ideo fuerunt adhibita.

Calida ſudatio, etiamſi per longum tempus multum obſoleſceret, tamen haud raro veteribus adhibebatur; hodiernis etiam medicis ad eam decurſum eſt. Accommodatio ejus ad totum corpus haud fere competit, et mea ſententia plurima commodorum, quae ex ea oriuntur, inferioribus corporis extremis probe fovendis efficiantur. Delirii levamen et ſomni conciliatio ſunt emolumento, quae ex ejus uſu fere naſcuntur.

2da, Indicatio in medendi ratione eſt, ad exitus debilitatis jamdudum illatae praeripiendos, et quo minus aliae cauſae debilitantes applicentur inhibendum.

Quemadmodum natura contagii quod applicatum eſt, et debilitatem in corpore exiſtentem intulit, parum nobis innoteſcit, et rationes idoneas ad eximendum vel ad emendandum aeque ignoramus; talis conatus ſub hac indicatione in debilitationem cadere non poteſt, et ſolum ejus conſilium eſt ejus affectus inhibere. *Tonica* et *ſtimulantia* remedia ad hoc propoſitum laudantur. Tonica ex duobus ſunt generibus, frigoris nempe accommodatio, et tonicorum remediorum adminiſtratio.

Vis frigoris ut tonica eleganter, et multo ingenio, a celeberrimo *Culleno* depingitur, ejuſque notationes jam inde a *Sydenhamo*, qui ſtrenue ejus uſum contra conſuetudinem tunc temporis pollentem, et feliciſſimis conſequentibus ingerebat, medicorum animadverſionibus comprobatae ſunt. Vel ad ventriculum potus ratione, vel ad ſuperfi-

ciem

ciem libera aëris frigidi admiſſione, admoveri poteſt: In alterutris harum experientia ejus uſum comprobavit.

Frigidae potiones in febribus ab antiquiſſimis medicinae temporibus impenſae ſunt, et tonicae quibus gaudent vires, a ventriculo reliquo corpori ſtatim impertiuntur. Res ſolae, quae eorum uſum vetare videntur, phlogiſtica diatheſis aut topicae inflammationes.

Frigidus aër, ſuperficiei admotus, vi refrigerante pollet, agit ut tonicum. In Sileſia medicos laborantium corpus totum aqua frigida lavari juſſiſſe ferunt; in hac regione utcunque haud ita libere adhibita eſt. Quantum ejus accommodationem parti impenſam, aut per ſe, aut aceto conjunctam, nempe capiti, delirio perſtante, in hoc Noſocomio vidi, ejus eventus nunquam non ſalubres videbantur.

Multa *medicamenta* veluti *tonica* adhibita fuerunt, et cum ex foſſilibus tum vegetabilibus generibus deſumpta. Quod ad foſſilia attinet, raro uſurpantur, et forſitan in eorum locum vegetabilia tonica omnino ſufficere licet. Multa ex his diverſis temporibus adhibita fuerunt; *Peruvianus* autem *Cortex* longe inclytiſſimus, et plerumque in uſu eſt. Pulvis illius cum aqua, vel quovis alio, aegro magis grato, liquore miſtus, ſi exitus felices ab eo deductos expectemus, in ventriculum recipiatur oportet.

Alia remedia ſunt ſtimulantia. Inter haec *vinum rubens* non ſolum ſine dubio optimum, creberrime autem uſurpatum eſt. Ventriculo gratum eſt, admodum ad vires aegroti ſuſtentandas tendit, et cum aqua miſtum haud in parva quantitate capi poteſt. Cum debilitas permagna fuerit, *ardentes ſpiritus* cum aqua miſti, aut per ſe quoque,

exitu

exitu feliciſſimo adhibiti fuerunt. *Opium* a quibuſdam cum conſilio prout ſtimulus agendi datum eſt; ſedantibus autem et antiſpaſmodicis poteſtatibus felices ejus effectus exoriri potius arbitror, et his in ſubſultu, et ſomno conciliando, ut jam dictum eſt, utile evadit.

Aliarum cauſarum, quae imbecillitatem inferunt, applicatio praeveniatur ea irritamenta dimovendo aut attenuando, quae tantum non aſſidue in corpus agunt; qualia quae in ſenſus imprimuntur, vel corporis vel animi exercitatio, et nutrimenti aſſumptio: Horum utraque, pro corporis imbecillitate, magis irritantia fiant.

Externus calor maxima cum cura vitetur, et frigidus aër admittatur oportet. Poſitura corporis recumbens ſemper eligenda eſt, prout maximum laboranti allevamentum ſuppeditat, et eum ad muſculos exercendos haud cogit. Locutio reſpirationem deproperat, et idcirco ab ea provide abſtineatur oportet, eoque magis cum aliquam cogitationem exigat. Id nutrimenti tantum ſumatur oportet, quod in ſe irritaminis minus complectitur; cibus animalis ob eam cauſam declinetur, et vegetabilis, qualis e farina conficitur, ejus vice impendatur, et hic ſaepenumero detur oportet, et magis gratus et corroborans vini praeſertim rubri acceſſione confici poteſt. Cruditates aut humores in ventriculo putreſcentes, et faecum in inteſtinis retentio, alii irritationis fontes evadunt. Illa diluentium uſu et acidis fructibus adhibendis, qui ſimul ad ſitim minuendam ſpectant, quae ſemper ſtimulus eſt, removenda ſunt, et haec emollientium clyſterum aſſiduo uſu.

3*tio*, Indicatio eſt, proclivitati fluidorum ad putredinem obviam ire.

Hoc conficiatur, *1mo*, Omnem recentem putridae materiae applicationem devitando, libero nempe aditu aëri frigido dando, veſtibus et ſtragulis crebro mutandis, et omnibus excrementis ab aegroti cubiculo extemplo auferendis.

2do, Materiem putreſcentem corpori adhaerentem exhauriendo, enematis ſcilicet injiciendis, et ea emendanda per diluentia acida nutrimenta, et aëra fixum, quem viri celeberrimi *Prieſtley* et *Dobſon* ad hoc conſilium praeſentiſſimum invenerunt.

3tio, Tonum vaſorum per tonica remedia ſuſtinendo, qualia *frigus*, *Peruvianus Cortex*.

Haec remedia plus minuſve libere ad ſymptomatum et infirmitatis perſtantis vehementiam impendenda ſunt, et multa de his opportune ſatis inter convaleſcendum, virium aegroti reficiendarum ergo, uſurpari poſſint, et eorum effectus levem nutrientem diaetam, et modicam lenem exercitationem adhibendo, multum provehentur.

F I N I S.